

sed corporis modo esse differentiam. Nam: ὡ γυναικεία Φύσις, inquit, τὴν ἀνδρείαν νικήσασα διὰ τὸν κοινὸν ἀγῶνα τῆς σωτηρίας, καὶ σώμα-  
 76 διαφορὰν, ἔ ψυχῆς τὸ θῆλυ καὶ τὸ ἄρρεν ἐλένξασα. Et Seneca: a) Nulli certe præclusa virtus est, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitatur, nec censum eligit, nec sexum. Qua de causa Alexander Barsinam maluit, pauperem quidem & forma non eximiam, sed literis Græcis Latinisque insigniter eruditam uxorem ducere, quam Darii filiam pulcher-  
 rimam, divitem & generosam; cum non sapiens esset & erudita. Illa enim tempestate, Guevara b) ait, sapientia & doctrina non divitiarum inducenda conjuge spectabantur; & ut quæque erat doctissima, ita splendidissimas sortiebatur nuptias. Lydi, qui eodem feminas literis eruditas, quo viros bello strenuos, honore dignabantur, Reginam suam Myrtin, quod & in conjugio prudens & in viduitate castissima, & Philosophiæ doctissima fuerat, inter VII. Reges, quos habuerunt gloriosissimos, connumerabant. c) Pythagoras, qui & sororem Themistocleam & filiam Polycratam nactus doctissimam, ingenue se sororis suæ discipulum ab eaque omnem, quod miramur, Philosophiam suam addidisse profiteri non erubuit. Legi meretur apud Guevaram d) memoratu digna ejus ad Sororem Themistocleam in Samothracia tum degentem ex Rhodo epistola, & oratio ad filiam suam Polycratam Metaponti, cum morti esset proximus, habita. Joanna Philippi pulchri R. Galliæ conjux, ut Auctor nobis est Jo. de Bussieres è Soc. Jes. e) literarum amore, quarum peritiam haud vulgarem hauserat, Navarræ Collegium Parisiis condidit atque ornavit: Princeps in consiliis dixit sententiam: assueta etiam arma induere & dum consors in castris ageret copias ducere. Sed longius tot præclara Heroinarum exempla enarrare nolumus, cum præter Boccatium f) Serdonatum g) Rimerum h) Pierre de Moyne i) La Barre k) Bosquetium l) Costum m) Menagius n) B. Tho-  
 ma-

- a) de Benef. L. III. e. 18. b) L. II. Horol. Princ. C. XXXV. n. 368.  
 c) Ex Strab. Gueu. l. c. d) L. II. Hor. Princ. C. XXXIV. & XXXV.  
 e) Histor. Franc. T. II. L. IX. p. 231. f) de claris Mulieribus g) de Feminis Illustribus Italicis. h) de Duellis Mulierum. i) la Galerie des femmes fortes Ao. 1663. Paris. k) qui Geneva Tractatum Mariæ Jarsia de Gournay de l'égale des deux sexes edidit. l) Lib.